Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 27
Quelle:
Copyright:

Monum. SS. PP. Orthodoxographis J. Jac. Grynaei, tum in *Bibliothecis PP.* impressae leguntur. His subjicitur: *Capitula veteris testamenti sunt* 967. *noui vero* 261. *Totius biblie.* 1226. *Pentateuchum* jam praecedunt *Hieronymi Praefationes* binae. Textus in *Capita* tantum divisus est. In *Josuam* pariter praefatur *Hieronymus*, uti et in *Libros Regum*, quorum tertius hanc rubricam praefert: *Incipit Malachim I. liber Regum tercius*, et in *Paralipomena*, quae ob folium excisum a L. II. C. 33. v. 22. usque ad finem deficiunt, truncata simul *Oratione Manassis* solo tamen titulo et prima voce *Domine*. Librorum *Esdrae* haec est ratio. *Primus* Hier. Prologo gaudet. *Secundus* inscribitur: *liber esdre secundum Neemiam. Tertius* audit *esdre secundus*, utque nihilominus Libri quatuor conficiantur, *Quartus* usque ad C. III. in Capitula 5. divisus tertium, atque inde usque ad finem librum quartum definit. *Tobias* et *Judith* Hieronymi prologos habent; deperiit vero posterior a C. V. verbis illis: *Egressi vero mare rubrum* &c. suoque fato *Estherem* integram, *Jobumque* usque ad C. XXI. v. 21. involvit. A C. XXIX. v. 6. *Jobus* rursum deficit; et simul *Psalterium* usque ad *Ps.* XLVIII. v. 12. Psalterio subnexa est brevis notitia de numero et autoribus Psalmorum, de instrumentis musicis &c. hac rubrica: *Origo propbetie dauid regis psalmorum numero 150.* simulque in margine inferiori adscriptus spurius ille Psalmus: *Pusillus eram inter fratres meos* &c. de quo *J. Alb. Fabricius Cod. Pseudep.* V. T. p. 905. *Proverbia* integra adsunt cum *Hier.* prologo. Idem praefatur in *Ecclesiastem*, qui tamen a C. VI. v. 2. deficit, uti et *Ecclesiasticus*, quem tantum a C. X. v. 5. exordimur. Subjuncta est illi *Oratio Salomonis* ex *Reg.* III. c. 8. et *Paralip.* II. c. 6. excerpta. Tum demum sequuntur *Cantica Canticor.* et *Sapientia*, ad cujus calcem de numero, autoribus et tempore compositionis *Psalmorum* sat inexpectato disseritur, hoc initio: *In bebreo libro psalmorum citra numeri adieccionem descripti sunt omnes* &c. Inexpectatius multo succedit *Hermae Pastor* duobus praeloquiis galeatus. *Primum* quidem sumtum est de *Catalogo viror. illustr. Hieronymi*; alterum sic sonat: *Liber pastoris nunccii penitentie Mandata ac similitudines eius. in quibus apparuit et loqutus est Herme. Cui eciam in prenuncio apparuit ecclesia in varijs figuris. Sunt ergo visiones ecclesie numero IIIIor. pastoris nuncij penitentie visionum numerus quinque. Mandata ejusdem numero duodecim. Similitudines ipsius numero decem.* Opus ipsum non in Libros III. uti *J. B. Cotelerio*, sed in XXVI. Capita nobis divisum est, nonnihilque ab ejus editione *Vol. I. PP. Apostolicor. Antverp.* 1698. *p.* 75. *f.* hinc inde dissidet. Confer de *Herma*, si lubet, etiam *J. Alb. Fabricii Cod. Apocr. N. T. p.* 966. Ad calcem *Pastoris* notam hanc chronicam legis: *Finitus an-*

no